



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii
Dei**

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio II. De dono timoris. S. Thom. a. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

S. Thom. q.
7. a. 5. & 6.

DISPUTATIO L.

Vtrum Christus habuerit dona.

S. Thom. art. 5.

SECTIO I. De donis in communi.

SECTIO II. De dono timoris. S. Thom. art. 6.

SECTIO I.

SECTIO II.

De donis in communi.

De dono timoris. S. Thomas art. 6.

§. 1. **D**ona communiter dicuntur esse virtutes supernaturales, quibus creatura rationalis prædò est ad obediendum Spiritui sancto tangenti cor per illustrationes, & impulsus. Aliqui ea distinguunt à virtutibus per se infusis: Alexander verò & P. Valquez nequaquam, opinantes dona esse habitus per se infusos valdè intensos, connotando specialem providentiam Spiritus sancti ad regendam creaturam, in qua sunt, vt faciliè assequatur finem, ad quem refertur donum illud: vt fortitudinis donum ex. gr. est ipsa virtus per se infusa fortitudinis connotans vocationes congruas speciales ad aggrediendas res arduas, & superandas difficultates.

§. 2. In intellectu sunt quatuor dona. Intellectus, quem S. Thomas 1. 2. q. 68. art. 4. ait pertinere ad apprehensionem in ordine ad speculanda mysteria. Secundum, est sapientia diiudicans de iisdem mysterijs. Tertium, consilium pertinens ad apprehensionem practicam de rebus agendis. Quartum, scientia, quæ iudicat practicè de iisdem. Tria priora fuisse in Christo non dubium. De consilio res est certa ex cap. 11. Isaia n. 2. vbi de Christo hæc ait: *Et requiescet super eum spiritus Domini; spiritus sapientia, & intellectus; spiritus consilij, & fortitudinis; spiritus scientia & pietatis.* Consilium enim non includit in suo conceptu ordinem ad dubitationem, sed eminentem cognitionem ex dono speciali Dei ad dirigendas actiones. Imò Deus ipse dicitur profundissimi consilij esse; non quòd illi tribuatur simplex apprehensio, sed perfectissima cognitio, qua dirigitur diuina voluntas.

§. 3. Ad voluntatem pertinent tria dona. Primum pietas ad cultum Dei; vel, vt alij volunt, ad subueniendum egenis: quam Christus eminenter exercuit, & exercet modò Deum colens, & apud eum interpellans pro nobis. Secundum fortitudo, quam portendenter exercuit aggressus & passus turpissimam & crudelissimam necem pro gloria Dei, hominum que salute. Nunc autem complacet sibi in rebus: habitus enim hic fertur in labores secundum se ferendos pro Deo: ad quem spectat absentes quaerere, ferre præsentis, de præteritis autem gaudere. hæc enim olim meminisse iuuabit. Iam dixi vol. 2. disp. 108. §. 30. manere virtutes morales in patria, exercentes amorem strictum de suis obiectis secundum se, & gaudium de illis, vt exercitis. ita manet in Christo fortitudo.

§. 4. **T**ertium donum est timor, quem in Christo fuisse testes sunt, Isaia supra asserens Christum repletum spiritu timoris Domini; & Innocentius II. id diffiniens contra Petrum Abailardum. In patria remanere aliquem verum timorem, patet ex psal. 118. v. 10. *Timor Domini sanctus permanens in seculum seculi.*

§. 5. Dices, timorem illum permanere non re, sed in præmio. Contrà: In præmio etiam manet fides, quæ tamen nusquam dicitur manere in patria, sed potius euacuari. Deinde in præmio manet etiam timor ferulis: quia manet iustitia, ad quam disposuit; & augmentum gratia, quod impetrauit in homine iusto, vt explicui in disp. de forma iustificante. B. August. tom. 9. tract. 9. in epist. Ioan. ad medium conciliat hoc testimonium psalmi cum testimonio Ioan. epist. 1. cap. 4. v. 18. asserentis non esse cum charitate timorem; asserens timorem, quem Ioannes ait non manere, esse ferulem; manere autem timorem sanctum & castum: quia ferulis fertur in pœnam imminentem, quæ non timetur in patria; filialis verò non fertur in pœnam. Quem August. explicat his verbis: *Ille timor, quo times ne in ignem æternum mittaris cum diabolo, nondum est castus: non enim venit ex amore Dei; sed ex timore pœnæ: cum autem times Deum, ne deserat te præsentia eius, amplecteris eum, ipso frui desideras.* Vnde colligo duo alterum, hoc testimonio August. non leuiter confirmari vtramque conclusionem S. Thomæ distinguentis timorem personæ, à timore pœnæ alterum, indicari ab August. timorem hunc esse à charitate: ait enim de feruli, *Non venit ex amore Dei.* Et confirmatur exemplo de vxore amante maritum, & alia timente: item, quia ait oriri ex affectu, ne vniquam auellatur à Deo, vt contingit amicis. interdum autem insinuat August. timorem hunc oriri ex habitu spei; quia est ex desiderio, ne deseratur à Deo.

§. 6. Possumus autem considerare malum culpæ & pœnæ secundum se, vt possibile nobis absolute, & Christo ratione animæ, & in illo malo displicemus, licet illius simus omnino securi. item que possumus affectum aliquem reuerentiæ exhibere Deo, quatenus potest absolute illud. At verò non possunt Beati concuti timore, neque affligi de illo malo vt imminente, aut futuro. quem timorem definit Aristor.

§. 7. Hæc hic perstrinxi: quia de eis latè disserui vol. 2.

vol. 2. disp. 113. ubi egi de timore in genere & specie: §. autem 101. ostendi esse probabile huic timorem esse admirationem: à §. verò 110. ostendi timorem filialem esse in Beatis, spectantem ad vir-

tutem specialem. Aliqui censent hunc esse omne s. Thom. opus bonum, exercitum in honorem aut cultum q. 7. a. 7. superioris potentis malum infligere. At hæc significatio non est propria.

DISPUTATIO LI.

Vtrum in Christo fuerint gratia gratis data, & prophetia?

S. Thomas art. 7. & 8.

§. 1. **G**RATIA gratis data non distinguitur à faciè gratum; quòd hæc non datur gratis. Prima enim omniū gratia, à qua incipit series nostræ iustificationis, datur omnino gratis: ipsa autem prima gratia sanctificans non potest dari ex merito condigno: iustificamur ergo gratis. Neque item in Christo dicuntur gratia gratis data, quòd non fuerint debite ratione vnionis: illa gratia, quæ refertur ad sanctificationem eam habentis, vocatur à Theologis gratum faciens, sumiturque pro gratia formaliter sanctificante: aliæ verò gratia, quæ referuntur ad vtilitatem aliorum, vocantur gratia gratis data.

§. 2. Has gratias enumerat Paulus 1. Corinth. 12. 8. quæ omnes fuerunt in Christo, vt omnes sensus sunt in capite, vt dixit August. epist. ad Dardanum. Prima, sermo sapientiæ, id est, facilitas docendi mysteria fidei per altissimas causas. Secunda, sermo scientiæ per causas magis particulares. Tertia, fides, id est, fiducia ad patranda miracula in confirmationem fidei: vel notitia principiorum fidei, quam Christus habuit intuitiuam. Quarta, gratia sanitatum, id est, potentia ad impertiendam ægris salutem. Quinta, operatio virtutum, id est, potestas patranda miracula. Sic de Christo dixit Herodes: *Virtutes operantur in illo.* Sexta, discretio spirituum, ad iudicandum inter spiritum Dei & diaboli: item & ad dignoscenda varia genera spirituum. Septima, genera linguarum: quarum notitiam comprehensiuam Christus habuit. Vtrum autem eas exercuerit, incertum. Negat B. Thomas, fatentur alij. Octaua, interpretatio sermonum, id est, facultas Scripturas, & alia verba sacra exponendi.

§. 3. Superest prophetia. Ac primum constat ex Paulo prophetiam cessaturam in patria. 1. Corinth. 13. 8. Loquitur autem Paulus de scientia & pro-

phetia imperfecta: subdit enim: *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus.*

§. 4. Abulensis opinatus est Christum non fuisse verè Prophetam: quia prophetia est obscura: dixit autem eum fuisse plusquam Prophetam. Opinonem hanc mordent Neoterici, & quidem verbo tenus est reprehensibilis; quia deserit communem phrasim; re tamen non dissentit à veritate. Concedit enim Tostatus Christo cognitionem perfectissimam, & comprehensiuam rerum à nobis distantium, & secretorum cordis: dicit autem eam scientiam esse propheticam, non propriè, sed impropriè: quia non est obscura; sed in altiori & eminentiori genere prophetiæ. Tota ergo controuersia deuoluitur, vtrum hæc vox *prophetia* sit imposita ad significandam notitiam claram & oblecturam. Prophetia obscura est instinctus, quem à fide non distingui ostendi vol. 2. disp. 13. §. 84. & alibi. prophetia autem absolutè est clara auditio Dei: vt ostendi eodem volum. 2. disput. 28. quæ est in Christo.

§. 5. Quæ contra Abulensem obijciuntur ex Scriptura, facilem habent explicatum. Illud ex Deuter. 18. 15. *Prophetam sicut me suscitabit tibi Dominus;* exponitur eodem modo. Ait enim Moses à Deo prouidendum Messiam legislatorem, & Prophetam, sicut prouidit Mosem ipsum: & quemadmodum Christus fuit legislator sublatà imperfectione Mosaicâ: quia Deum nemo vidit vquam, quemadmodum vidit noster legislator: ita fuit Prophetam sicut Moses sublatà obscuritate & imperfectione notitiæ in euentibus prædicendis. Pro Abulensis autem locutione facere videtur Paulus adductus §. 3. Hæc adduco, non vt probem phrasim Abulensis, quam impugnaui §. 4. sed vt ostendam eum re ipsa nihil absurdum dixisse.

§. 6. Quid sit prophetia, iam dixi volum. 2. tota disp. 28.